

228 (Q. 252, 253) De Missis Votivis privatis

Oratio secunda, tamquam Commemoratio specialis de hujusmodi Officio dici debeat, nullo modo tamen dici potest aliqua Præfatio propria de Missa quæ Officio correspondet, sed omnino neglecta hac Præfatione propria, dicenda est Præfatio communis.

II. Quoad Orationem *Communicantes* (cfr. Q. 169), quæ in Missæ Canone infra quasdam Octavas est propria, ex. gr., infra Octavam Ascensionis Domini, hæc in Missis Votivis quoque, quæ infra hanc Octavam celebrantur, est dicenda; etiamsi Præfatio non diceretur de Ascensione, sed propria Missæ Votivæ, ex. gr., de B. Maria Virgine, in hujus Missa Votiva privata. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Junii 1663, n. 1265, antiq. 2223, ad 3.)

Casus applicari potest huic Octavæ Ascensionis tantum, nam infra alias Octavas quæ hanc Orationem *Communicantes* in Canone habent propriam, Missæ Votivæ privatae non possunt celebrari.

Q. 252. *Quid notandum est quoad Ite missa est, et ultimum Evangelium, in Missis Votivis privatis?*

R. I. Juxta regulam generalem, in omni Missa servandam (Rubricæ generales Missalis, Tit. XIII, n. 1), quando in Missa Votiva dictus fuit Hymnus *Gloria in excelsis* (cfr. Q. 242), dicitur etiam in fine Missæ: *Ite missa est*; quando vero omissus fuit in Missa Votiva Hymnus *Gloria in excelsis*, in fine Missæ semper dicitur: *Benedicamus Domino*.

II. In omnibus Missis Votivis privatis « numquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Joannis », scilicet: *In principio*. (Rubricæ generales Missalis, Tit. XIII, n. 2.) Invariabilis est hæc regula, etiamsi Missa Votiva privata celebraretur, ex. gr., tempore Quadragesimæ, quando in Missis de Sanctis, Officio conformibus, legitur semper Evangelium proprium Feriæ; hoc omittitur in Missis Votivis privatis. (Cfr. Decreta S. Rituum Congregationis, 5 Maii 1736, n. 2319, antiq. 4044, ad 28; et 30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 3.)

Q. 253. *Quid animadvertisendum est pro Missis Votivis privatis, seu ex causa non publica, quæ celebrantur in cantu*

De Missis Votivis privatis (Q. 254) 229

vel solemniter? Quid notandum est pro cantu, si contingat Missam Votivam privatam solemniter, aut in cantu celebrari?

R. I. Missæ Votivæ privatae, in cantu vel etiam quantumvis solemniter celebratæ, cum Altaris apparatu et magno musicorum concetu, sed non pro re gravi et ex causa non publica, etiamsi in forma novemdialis vel octidui ante vel post aliquam solemnitatem agantur; nullimode celebrentur in Dominicis, et Festis duplibus, aut in diebus in quibus nec de Duplici fieri possit, nisi ex Indulto speciali; et in iis *Gloria in excelsis* et *Credo* semper omittantur; sed easdem normas ac cæteræ Votivæ sequuntur. (Decreta S. Rituum Congregationis, 2 Septembri 1690, n. 1843, antiq. 3232, ad 1; et 30 Junii 1896, n. 3922, § IV, nn. 1, 2, 3.)

II. Celebrans Missam Votivam privatam, in omnibus debet, si solemniter, aut in cantu eam celebret, uti tono feriali seu simplici; itaque Orationes cantari debent tono simplici feriali: Præfatio, et *Pater noster* in cantu feriali; *Ite missa est*, vel *Benedicamus Domino* in tono simplici; excepto tamen *Ite missa est*, in Missis Votivis de B. Maria Virgine, quod cantatur eodem tono quo in omnibus Missis de B. Maria. (Cfr. Tractatus Sacrae Liturgiæ: *Cæremoniale. Appendix II*.)

APPENDIX I

Tabella ordinis servandi pro Missæ Votivæ
privatae celebratione

254. Pro facilitate Sacerdotum qui Missas Votivas privatas celebrare debent, sæpius, in variis Libris precum, necnon in pluribus Directoriis seu Cartabellis, describitur aliqua Tabella, in qua variæ regulæ suppositæ compendiouse proponuntur. Hujusmodi Tabellam hic describere juvat, cum debitiss explicationibus et notis, quibus semel intellectis, usus postea pro praxi facilior fiet.

NOTA. Nihil in Tabella notatur de Sequentia, de Oratione *Communicantes* propria infra Octavam Ascensionis Domini, de ultimo Evangelio; pro quibus Missæ partibus immutabiles exstant regulæ, scilicet, quod Sequentia numquam dicatur (cfr. Q. 249); quod Oratio Com-

municantes propria Octavæ Ascensionis recitetur, etiam si Praefatio Ascensionis non dicatur (cfr. Q. 251, II); quod ultimum Evangelium semper dicatur Initium Evangelii S. Joannis: *In principio* (cfr. Q. 252, II).

Missa Votiva	Color	Missa	Gloria	Orationes	Credo	Praefatio	Bened. Dom. vel <i>Ite missa est.</i>
SS. Trinitatis	Albus	Propria (1)	Omitt.	ut infra (a)	Omitt.	Propria	Bened. Dom.
Spiritus sancti	Rubeus	Propria (1)	Omitt.	infra (a)	Omitt.	Propria	Bened. Dom.
SS. Sacramenti.	Albus	Propria (1)	Omitt.	infra (a) (a')	Omitt.	Nativit.	Bened. Dom.
SS. Cordis Jesu.	Albus	Festi (2)	Omitt.	infra (a) (a')	Omitt.	de Cruce	Bened. Dom.
Passionis Domini.	Violac.	Propria (1)	Omitt.	infra (a) (a')	Omitt.	de Cruce	Bened. Dom.
SS. Crucis	Rubeus	Propria (1)	Omitt.	infra (a) (a')	Omitt.	de Cruce	Bened. Dom.
B. Marieæ V. (3)	Albus	Propria (4)	Sab. dic. alias Omitt. (5)	infra (b)	Omitt. (5)	Propria	Sabb. Ite m. est, alias Ben. Dom. (6)
SS. Angelorum.	Albus	Propria (7)	Dicitur	infra (a)	Omitt. (5)	infra (e)	Ite missa est
S. Joseph	Albus	Propria (1)	Omitt.	infra (d)	Omitt.	infra (e)	Bened. Dom.
SS. Petri et Pauli	Rubeus	Propria (8)	Omitt.	infra (c)	Omitt.	Apostt.	Bened. Dom.
SS. Apostolorum.	ut in Festo	Propria (8)	Omitt. (5)	infra (a)	Omitt. (5)	Apostt.	Ben. Dom. (6)
Sanctorum.	ut in Festo	Prop. vel de Comm.	Omitt. (5)	infra (a)	Omitt. (5)	infra (e)	Ben. Dom. (6)
Pro infirmis	Violac.	Propria	Omitt.	infra (a)	Omitt.	infra (e)	Bened. Dom.
Pro qua-cumque necess.	Violac.	Propria	Omitt.	infra (a)	Omitt.	infra (e)	Bened. Dom.

EXPLICATIONES

a. Prima Oratio dicitur Missæ Votivæ; secunda Oratio dicitur Missæ diei, conformis Officio recitato; tertia Oratio dicitur ea, quæ in Missa diei conformi Officio fuisset secunda, scilicet: vel **Commemoratio specialis**, si occurrat (Simplicis, Octavæ, Feriæ majoris, Vigiliæ), vel secus Oratio, seu **Commemoratio communis**, ut in Missali pro diversis anni temporibus indicatur. (Cfr. Q. 244.)

In Tabellis positis in Directoriis, Orationes istæ ordinarie indicantur breviori sequenti modo *2 et 3 diei currentis*.

Si in Missa diei duæ vel plures Commemorations speciales faciendæ fuissent, istæ omnes (omissa tunc Commemoratione communi), et **eodem ordine** in Missa Votiva fieri debent. (Q. 247.)

Post Orationes præceptas, quæ ad minus tres numero sunt, dicitur Collecta imperata, si præcepta sit; dein Celebrans ad libitum alias Orationes, dictas **Votivas**, addere potest usque ad numerum omnium simul Orationum quinque, vel septem. (Q. 248.)

a'. Si Missa Votiva de SS. Sacramento, vel de SS. Corde Jesu, vel de Cruce, celebratur in Feria VI in qua dictum fuit Officium Votivum de Passione; — aut si Missa Votiva de SS. Corde Jesu, vel de Passione, vel de Cruce, celebratur in Feria V in qua dictum fuit Officium Votivum de SS. Sacramento; — tunc in Missa Votiva omittitur Commemoratio Officii Votivi diei, et dicuntur Orationes de tempore. (Q. 244, Nota III.)

b. Prima et secunda Oratio ut supra in a; tertia pro Commemoratione communi dicitur de *Spiritu sancto*. (Q. 245.)

c. Prima et secunda Oratio ut supra in a; pro tertia Oratione notandum est quod, quo tempore anni tertia Oratio, seu prima Commemoratio communis est *A cunctis*, ejus loco dicitur Oratio de B. Maria V., quæ incipit *Concede nos famulos*, ex Missa Votiva B. M. V. a Pentecoste usque ad Adventum. (Q. 246, 2º.)

d. Prima et secunda Oratio ut supra in a; pro tertia

232 (Q. 254) De Missis Votivis privatis

Oratione, quæ etiam dicitur ut supra in *a*, notatur quod, quo tempore Oratio *A cunctis* tertio loco dicenda veniet, hæc recitari debet, sed omisso nomine S. Joseph. (Q. 246, 1^o.)

Hanc regulam, in Missis Votivis in honorem S. Joseph celebrandis tenendam, sequi etiam potest Sacerdos qui Missam Votivam celebrat in honorem Sancti Titularis Ecclesiae in qua Sacrum celebrat, cuius cum dicatur Missa, omittenda proinde erit nova nominatio in Oratione *A cunctis*. Attamen, in hoc casu, poterit Sacerdos etiam Orationem *A cunctis* commutare in aliam *Concede*, quæ similiter est ad petenda Suffragia Sanctorum, et quæ describitur in fine Missalis primo loco inter Orationes diversas. (Q. 246, 3^o.)

e. Præfatio dicitur de *Octava currente*; quæ si non detur, dicitur de *Tempore* (scilicet vel Quadragesimæ, vel Passionis, vel Paschatis, vel Ascensionis); extra hæc Tempora dicitur **Præfatio communis**. (Q. 251.)

NOTÆ

1. Intelligitur Missa propria, quæ ut Votiva ponitur in fine Missalis, non autem Missa propria Festi. (Q. 226.)

2. Dicitur Missa de Festo SS. Cordis Jesu, cuius Introitus incipit *Miserebitur*, omissa in fine Introitus utroque *Alleluia*, extra Tempus Paschale. (Q. 228.)

3. De B. Maria V. in genere, aut de ejus Festivitate speciali. (QQ. 210, 211.)

4. Scilicet una ex quinque, quæ pro diversis anni Temporibus in fine Missalis inter Votivas assignantur. (Q. 210.) Missæ vero propriæ Festivitatum B. Mariæ V. non dici possunt extra earum Octavas (Q. 211), exceptis Missis Immaculatæ Conceptionis, et Septem Dolorum B. Mariæ V. (Q. 212.)

5. Dicitur tamen Hymnus *Gloria* infra Octavas B. Mariæ V. et Sanctorum; nec non in die obitus Sanctorum. (Q. 242.)

Dicitur Symbolum *Credo* infra Octavas B. Mariæ V. et Sanctorum. (Q. 250, II.)

6. Dicitur *Ite missa est*, quoties in Missa Votiva dictus fuerit Hymnus *Gloria*, alias dicitur *Benedicamus Domino*. (Q. 252.)

De obligatione dicendi Missas Votivas (Q. 255) 233

7. Propria, id est, vel Votiva de Angelis, quæ ponitur in fine Missalis, vel Missa propria de Festis Angelorum. (Q. 221, Nota 1^a.)

8. Cfr. regulæ speciales pro Missis Votivis de Apostolis traditæ post Q. 221, in Notis 4^a ad 8^{am}.

APPENDIX II

De Obligatione dicendi Missas Votivas

Q. 255. Quæ Missa dicenda est, si quis fidelis petit Missam in sensu liturgico Votivam, in honorem alicujus Mysterii vel Sancti, aut pro aliqua necessitate?

R. Ex variis Decretis S. Rituum Congregationis sequens jus statuitur super obligatione dicendi Missas Votivas.

1^o « Diebus, quibus dici possunt Missæ Votivæ privatæ,... Sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis, vel accepti manualis stipendii, propriæ obligationi non satisfacit, dicendo Missam de die occurrente: expressa enim voluntas testatorum, vel postulantum, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri. » (Decret. 3 Martii 1761, n. 2461, ad 7, antiq. 4299, ad 14.)

2^o Pro Missis Votivis ex fundatione vel legato, monet S. Congregatio, « ne in futurum recipiatur obligatio ad Missas Votivas celebrandas, nisi pro diebus, in quibus secundum Regulas Missalis celebrari possunt. » (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § IV, n. 3.)

3^o Missis Votivis a fidelibus petitis per Missæ de die occurrente applicationem satisfieri nequit, sine facultate Sedis Apostolicæ, et Missæ Votivæ non sunt acceptandæ, nisi pro illis diebus in quibus celebrari possunt, et si ob multitudinem non sufficient dies non impediti Summus Pontifex aliquando in casu particulari dispensat, ut pro Missis jam acceptatis sufficiat valor Missæ currentis. (Decret. 28 Septembris-3 Octobris 1872, n. 3285, antiq. 5528.)

4^o Novissime S. Congregatio præcedentem decisionem mitigavit. Etenim, ad dubium: « Sacerdos cui erogatur eleemosyna ad celebrandum Missam pro uno vel pluribus defunctis, aut Votivam in honorem alicujus

234 (Q. 255) De obligatione dicendi Missas Votivas

Mysterii, Beatae Mariae Virginis, vel Sancti ; satisfacitne obligationi suae Missam faciendo Officio conformem, cum aliunde petitam Missam **ritus** diei non permittat, dummodo applicet juxta intentionem dantis eleemosynam ? » S. Congregatio describere rata est : « Affirmative ; sed consultius est, ut quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam de Requie, vel votivam. » (Decret. 13 Junii 1899, n. 4031, ad 4.)

NOTA. Supradicta Decreta S. Rituum Congregacionis applicari debent pro casu in Quæstione posito, quando eleemosynam exhibens postulat, explicite vel implicite, Missam in **stricto liturgico sensu** Votivam, et requirit non solum Missæ applicationem, sed et Missæ qualitatem.

Jamvero plurimi laicorum distinctionem nesciunt Missam Votivam inter et Missam diei currentis ; et saepius dubium erit quomodo eorum petitio sit intelligenda.

« Quare, ait Lehmkuhl, videtur ratio habenda esse diversarum regionum, in qua Missa in honorem certi Sancti petitur. »

« Si fideles norint communiter, quid sit Missa Votiva atque eam communiter intendant, cum in honorem certi Sancti Missam postulant ; aut Missa Votiva dicenda est, aut qui dat stipendium monendum est de impedimento, si quod forte existit ; si vero fideles Missarum discrimen non norint, sed Sacerdotis arbitrio sese committant, dici potest Missa diei eaque in honorem Sancti solummodo applicari. » (Lehmkuhl, *Theologia moralis*, II, 201.)

Jure præsenti inspecto dicendum igitur est quod, si petitur Missa Votiva in specie, scilicet in sensu liturgico Votiva, diebus liberis obligationi non satisfiat nisi per Missam Votivam ; quod si **ritus** diei Missam Votivam non permittat, satisfit obligationi per Missam Officio conformem ; attamen, quantum fieri potest dicatur Missa Votiva.

Casus, in quibus per Missam **diei**, diebus non liberis, obligationi satisfiat, sunt, ex. gr. : si offerens stipendium consentiat ut Missa diei **currentis** dicatur ; — si sola applicatio fuerit postulata, non qualitas Missæ ;

De Sacerdote seni, aut cæcutiente (Q. 256) 235

quando scilicet, qui dedit stipendium, solum in genere petierit Missam in honorem alicujus Sancti, etc., non intendens ipsam Missam sensu liturgico Votivam ; — si Missa Votiva differri nequeat in diem liberum ; ex. gr., si in aliquo Festo dupli, aut æquivalenti Officio, petitur Missa pro graviter infirmo, vel agonizante ; — item plures declaravit S. Rituum Congregatio : Si Missa Votiva sit in cantu fundata, uti de Venerabili, Feria V ; vel de B. Maria V. in Sabbato ; vel alia aliis diebus determinatis, quando est Dominica, vel Festum duplex, aut alia dies impediens Votivas, quod, loco Missarum Votivarum, celebrandæ sint Missæ de Festo currenti, et cum applicatione Sacrificii satisfiat, et Benefactorum mens impleatur.

Hic tandem notatur : Quomodo S. Rituum Congregationis verba « **propriæ obligationi non satisfacit** » dicendo Missam de die loco Votivæ, intelligenda sint, explicant auctores ; nempe : fructus specialis non ita applicatur per Missam diei, quemadmodum per Missam Votivam juxta intentionem stipendium dantis fieri debbat ; hæc autem fructus diminutio petenti non quidem affert tantum detrimenti, ut inde grave peccatum oriatur, et Sacerdos teneatur sub gravi novum Sacrificium præstare, aut stipendium restituere ; quia intentio essentialiter adimpleta est, et fructus principalis æqualis est in omnibus Missis ; attamen Sacerdos in casu quoad circumstantias accidentales non satisfecit, quia promissis non stetit, et virtutem fidelitatis lædit.

APPENDIX III

De Sacerdote infirmo, dispensato ad legendum, tum Missam Votivam de B. Maria V., tum Missam de « Requiem »

Q. 256. Quodnam privilegium conceditur aliquando Sacerdotibus cæcutientibus, vel gravi ætate pressis, pro celebratione Missæ ? Quæ variaz conditions pro casu sunt animadvertenda ?

R. I. Sacerdotes senio fatescentes, vel debilitate oculorum laborantes, nonnumquam privilegium obtinent

236 (Q. 256) De Sacerdote seni, aut cæcutiente

celebrandi, singulis diebus, Missas, non Officiis dierum conformes, sed de B. Maria V., aut de *Requiem*. Conceditur hujusmodi privilegium a Summo Pontifice, vel a S. Congregatione Rituum; aliquando etiam Episcopi muniti sunt Apostolica facultate illud Sacerdotibus suæ Dioceseos singillatim id petentibus concedendi.

II. Variæ pro his Missis reperiuntur conditions a S. Rituum Congregatione positæ, quæ hic breviter referuntur.

1º Conditiones privilegio appositæ non sunt simplifices Curiæ formæ, neque meræ ritualitatis et styli, sed obligant in conscientia. (Decret. 16 Martii 1805, n. 2560, antiq. 4498, ad 4.)

2º Missæ quæ celebrari permittuntur, sunt vel Missa Votiva de B. Maria V., vel Missa de *Requiem*.

Missa Votiva B. Mariæ V., intelligitur illa ex quinque Votivis, in fine Missalis assignatis, quæ inscribitur « a Pentecoste usque ad Adventum »; attamen, modo facile fieri queat, aliaæ quatuor pro diversis anni temporibus assignatae etiam dici possunt. — Quoad Missas proprias Festorum B. Mariæ V., declaravit S. Congregatio, quod Sacerdos non tenetur ad Missam de Festo in Festis B. Mariæ V. (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2951, ad 1, antiq. 5102, ad 8.)

Missa de *Requiem* intelligitur quotidiana, cum tribus suis Orationibus, quæ quarto loco in Missali describitur.

3º Missa Votiva de B. Maria V. dici debet, juxta tenorem privilegii, « diebus festis et duplicitibus »; sub qua denominatione intelliguntur Dominicæ quæcumque; Festa duplia omnia, etiam 1^æ classis, necnon Octavæ privilegiatae, Vigiliæ privilegiatae, Feriæ privilegiatae. Itaque dicitur hæc Votiva, ex. gr., in Dominica Palmorum, in Paschate, in Pentecoste, in Nativitate Domini, in Assumptione B. M. V., in Feria IV Cinerum, in Vigilia Pentecostes, etc. (Decret. 28 Aprilis 1866, n. 3146, antiq. 5364, ad 1.) — In Sacro Triduo autem Hebdomadæ Sanctæ, Sacerdos cæcutiens ab omni celebratione se abstinebit.

Missa de *Requiem* celebrari potest tantum « diebus ferialibus, vel semiduplicibus », quibus hic in casu in-

De Sacerdote seni, aut cæcutiente (Q. 256) 237

telliguntur omnes et soli illi, in quibus per Rubricas licet celebrare Missas de *Requiem* privatas. In his, privilegio donatus non quidem tenetur celebrare Missas de *Requiem*, sed ad arbitrium suum Sacrum faciet vel de B. Maria V., vel de *Requiem*.

4º Missa Votiva de B. Maria V, semper celebrari debet cum paramentis albi coloris, et non coloris Officio diei conformis. (Decret. 28 Aprilis 1866, n. 3146, antiq. 5364, ad 2.)

5º In Missa Votiva B. Mariæ V. omitti debet semper Hymnus *Gloria in excelsis Deo*, etiam in Festis solemnis; item infra Octavas B. Mariæ V. Tantum dici potest Hymnus in Sabbatis. (Decreta 23 Februarii 1839, n. 2788, antiq. 4847, ad 1; 28 Aprilis 1866, n. 3146, antiq. 5364, ad 3; 30 Junii 1896, n. 3922, § V, n. 2.) — Ex citatis Decretis auctores generatim concludunt quod Sacerdos Hymnum *Gloria* nequidem in ipsis Festis B. Mariæ V., in Missa Votiva dicere possit; attamen ex ipsis Decretis id non liquido patet, cum hæc Hymnum prohibeant per, seu infra Octavas.

6º Missa Votiva de B. Maria V. semper celebrari debet sine ulla Commemoratione occurrentium Officiorum, aut collecta imperata; ita ut semper dicantur, secundo loco Oratio de Spiritu sancto, tertio autem Oratio *Ecclesia*, vel pro Papa (Decret. 28 Aprilis 1866, n. 3146, antiq. 5364, ad 4 et 5); — sine *Credo*, quamquam dies sit dominicus, vel solemnè Festum quodcumque (Decret. supra citatum ad 3); — cum Præfatione de B. Maria, in qua semper dicitur: *Et te in veneratione* (Rubricæ generales, Tit. XII, n. 4, et Ordo Missæ).

7º In Festo Nativitatis Domini, Sacerdos cæcutiens tres Missas celebrare non potest, sed unam tantum, de B. Maria V. (Decret. 11 Aprilis 1840, n. 2802, ad 3, antiq. 4878, ad 4.)

8º Privilegium datur, dummodo orator non sit omnino cæcus, memoriter non recitet, celebret in Oratorio privato, aut, si in Ecclesia publica, hora a populo minus frequentata, et cum alio assistente Sacerdote, quatenus eo indigere videatur.

Si cæcutiens privilegium obtinuit, et postea devenerit ad omnimodam cæcitatem, in eo casu non perseve-

rat privilegium cæcutienti concessum, et non potest licite perseverare in Missæ celebratione, donec novum Indultum fuerit a S. Congregatione obtentum. (Decret. 16 Martii 1805, n. 2560, antiq. 4498, ad 3.) Sacerdos cæcus sub gravi tenetur uti assistentia alterius Sacerdotis, etiamsi in concessione hæc obligatio expressa aliquando non fuisset.

9º Parochus qui hujusmodi privilegium obtinuit, tenetur curare, ut, quoties Missa pro populo debet applicari, alias Sacerdos Missam Officio occurrenti respondentem celebret. Casu quo alias Sacerdos non possit præsto esse, non excusatur quidem Parochus a Missa pro populo applicanda, sed Votivam, quam solum celebrare ipse valet, pro populo tunc applicare tenetur; Missa Officio correspondens enim hic injungitur tamquam conditio accidentalis, a qua gravis causa, qualis est absentia alterius Sacerdotis, excusare potest; remanet autem obligatio principalis applicationis pro populo, quæ omnino fieri debet.

§ 2. DE MISSIS VOTIVIS SOLEMNIBUS

Q. 257. Quæ est causa gravis, et publica, quam Rubricæ requirunt, ut ab Ordinario Missa Votiva solemnis cantanda indici vel permitti possit?

R. Causa gravis censetur necessitas, spiritualis vel temporalis, publica seu communis, quæ, per se vel per accidens, afficit Ecclesiam, patriam, diocesim, regionem, ad commune bonum omnium vel saltem majoris hominum partis. (Cfr. Q. 206.)

Omnes causas graves circumscribere accommodatæ definitionis terminis difficile quidem est; porro, cum Missas Votivas solemnies indicere solius sit Episcopi, ad ipsum pertinet judicare de causa, an gravis satis et publica sit.

Ex variis Decretis S. Rituum Congregationis, causæ sufficientes declaratæ fuere: beneficium commune obtinendum, uti pacis, pluviae, serenitatis; afflictio communis avertenda, ex. gr., belli, morbi, pestis; sanitas recuperanda Summi Pontificis, Episcopi, Regis; electio Summi Pontificis, nominatio Episcopi; gratiæ agendæ

pro impetrato magno beneficio communi, vel pro depulsa communi afflictione. Item apud Religiosos electio Superioris Ordinis vel Provinciae in comitiis generalibus vel provincialibus. (Cfr. Q. 206.)

Q. 258. Indica quasdam causas, quæ reputatæ sunt non satis graves ad celebrandum Missam Votivam solemnem.

R. Tales inter alias sunt: vestitio vel professio religiosa; electio abbatissæ; primitiæ neo-presbyterorum; jubilæum 50 annorum; processio quæ instituitur ratione SS. Sacramenti, vel alicujus Festi seu solemnitatis; novemdialis vel octiduum ante vel post aliquam solemnitatem, quantumvis solemniter celebretur; Missa in honorem Sancti sub cuius titulo erecta est confraternitas, nonobstante antiqua consuetudine, et concursu populi; solemnitas alicujus Mysterii vel Sancti extra proprium diem peragenda; Adoratio perpetua, vel alia expositio SS. Sacramenti, aut preces ad instar Orationis XL Horarum; et similia. Pro plerisque ex indicatis causis exstant Decreta S. Rituum Congregationis, quæ causæ insufficientiam declarant.

NOTA. I. Referre placet sequens S. Rituum Congregationis Decretum quoad Missam Votivam solemnem de Spiritu sancto ad initium scholarum. Ad dubium: « In Seminario Racholensi quotannis celebratur cum magno pompæ apparatu dies, quæ fit initium scholarum. Quæritur: Num hujusmodi solemnitas præbeat sufficiens motivum celebrandi, uti fit, Missam Votivam solemnem de Spiritu sancto? Et quatenus Affirmative, poterit ne Ordinarius indulgere veniam, ut in perpetuum hæc Missa celebretur? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Ad primam partem, decernendum ab Episcopo; Ad secundam, Negative. » (Decret. 16 Junii 1893, n. 3804, ad 7.) — Unde concludi potest quod « Missa Votiva solemnis de Spiritu sancto in initio scholarum celebranda dependet ab Episcopo, qui tamen nequit indulgere veniam, ut in perpetuum hæc Missa celebretur. (Cfr. Index Decretorum, pag. 309; cfr. etiam Ephemerides Liturgiæ, XV, 1901, pag. 519 et 649.)

NOTA. II. Renuntiare placet etiam, quod S. Rituum Congragatio, per Indultum 14 Decembris 1900, utendo facultatibus sibi specialiter a SS. Domino Leone Papa XIII tributis, potestatem fecit Emo ac Rmo Dno Petro Lamberto Cardinali Goossens, Archiepiscopo Mechlinensi, Missam Votivam solemnem in gratiarum actionem in pontificalibus canendi, in Metropolitana ipsiusmet Ecclesia, die 23 Decembris anni 1900, licet Dominica IV Sacri Adventus, qua die auspicatissima quinquagesimum